Lantgravii quousque professa
fuit induens griseam tunicam /.
de manu magistri Conradi de
Marburg. Et tunc ipsa Guda
simul cum ea tunicam induit /.
sollempnizantes simul ejusdem
habitus susceptionem propter
castitatis votum quod ante
plures annos emiserat in ma-
nus ejusdem Conradi.

[Caput quartum.]

Erat idem Cuonradus vir ad
modum literatus et in predi
catione famosissimus viciorum /.
acerrimus invector tyrannorum /.
terror et hereticorum qui sub ejus
predicatione pullulare vel ma-
gis manifestari ceperunt inde-
fessus persecutor. Hic auctori-
tatem predicandi primum
accepit a Domino Innocentio
Papa contra Saracenos in
qua plurimum profecit innume-
rabiles signans. Deinde sub
ejus successoribus beate memo-
rie Papa Honorio et ejus qui ho-
die tenet Romanum pontifi-
cium domino videlicet Gregorio
consimili immo majori aucto-
ritate predicans tum ad mo-
rum correctionem tum ad here-
ticorum repressionem par-
vissimo subvectus mulo totam
pene circuivit predicando Alemanniam.